


Ex hoc Problemate facilimum etiam fuerit, *Ad datum Punctum data linea recta Angulum dato Angulo equalem facere.* Videtur enim mihi hoc consuetarij instar hinc deduci posse.

Sit igitur angulo A dato in puncto B linea B C angulus æqualis construendus. Posito circini pede immobili in puncto A, ducatur, distantia quacunq; arcus D E, utrumq; crus anguli interfecans: deinde, ex puncto B dato, distantia eadem ducatur alter arcus F G lineam B C in F secans, translata distantia punctorum D & E in arcum F G, ductaq; lineam B G, erit angulus F B G angulo dato in puncto B lineam B C æqualis factus.



Quin imò, si punctum B detur extra lineam aliquam ubicunq;, fiet nihilominus, angulus B angulo A æqualis, modo arcus D E & F G, ut prius, ducas, distantiamq; hanc illi æqualem facias, lineasq; B F & B G ex communi concursus puncto B per F & G debito modo exeant.

Ex ratione bisecandi Angulum, si bisegmenta continue iterum biseces, non incommodè quivis angulus datus etiam in quatuor, octo, sedecim, &c. æquales partes dividetur.

In partes tres, quinq;, sex, septem, & ceteras, præter jam enumeratas, & quæ præterea eadem serie ita decurrunt, non nisi circuli præviâ apertione & compressione donec ad peti- tum deveniatur, angulos datos dividere licet: solus Angulus rectus etiam faciliter in 3. 6. 12. &c. dividuus est: quod ex sequenti Problemate teneatur.